Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 625
Quelle:
Copyright:

III. *fol.* 60. *Aduersus Heluidium de sanctę Marię virginitate perpetua.* Extat hic *Hieronymi* Tractatus edit. *cit.* T. II. *col.* 205. ubi nobiscum incipit: *Nuper rogatus a fratribus* &c. et finit: *seruus domini pariter experiatur et Mater.* Lectio plerumque proba ad laudatum a *Vallarsio* Codicem *Veronensem* plurimum accedit.

IV. *fol.* 68. Jam Spuria succedunt, et ab Editore mox dicto ad T. XI. merito remissa. *Sermones* ille vocat a *Col.* 208. Nobis ita inscribuntur: *Epistola Iheronimi De Nativitate Domini. De die epyphanię. De XL.ª. De Pascha.* Verum inter duo postrema titulo *Vnde Supra* nobis inserta est Commendatio Jejunii incipiens: *Moyses XL. diebus & XL. noctibus ieiunauit in heremo* &c. quam tu frustra nunc in *Hieronymo* quaesieris; reperies autem praemisso brevi ingressu: *Adest nobis venerabile* &c. T. V. *Opp. Augustini* edit. *Maur.* in *Append. col.* 255. n. CXLIV. *Serm. in Quadrag.* V. Agmen nobis claudit Expositio *De Psalmo C.mus. X.º. VII.º.* quam pariter *Vallarsius* ad T. XI. *col.* 200. relegavit. *Admonitiones* ibidem singulis praemissas, non est, quod huc transscribam.

V. *fol.* 72. p. 2. *Incipit epistola bachbarii.* Alias *Bachiarii* ad *Januarium* de Monacho lapso. Init: *Benedicto in christo fratri — Nisi uererer beatissime frater ne inter simulatos amicos iob* &c. Plura de ea dixi *Vol.* I. P. 1. *col.* 253. In Exemplo praesenti finit: *sicque reconcilieris domino nostro iheſu christo ameu*, omisso illo: *ut etiam pro nobis* &c. quod habent Edita.

VI. *fol.* 81. p. 2. Excerpta II. absque Titulis, quorum prius prolixius, quid circa Sacramentum Altaris Deus, quid Sacerdos minister operetur, explicat, et quasi in Canonem Missae commentatur. Incipit vero ita: *Uere credere et indubitanter scire debemus infra* (intra?) *catholicam ecclesiam*, (quod) *ubi catholica fide hoc mysterium celebratur, nichil a bono maius, nichilque a malo minus percipitur sacerdote, nichilque aliud quam caro christi & sanguis, dum catholice consecretur, quia non in merito consecrantis, sed in verbo efficitur creantis & in uirtute spiritus sancti* &c. Depromta sunt haec e *Paschasii Ratb.* Tractatu *de Corp. et Sanguine Domini* c. 12. prout extat *Bibl. PP. Lugd.* T. XIV. p. 729. Excerptum alterum brevius, incipiens: *Non negandum est defunctorum animas pietate suorum uiuentium releuari* &c. invenies in *Augustini Enchiridio* T. VI. *Opp.* c. 109. n. 29. *col.* 238.

VII. *fol.* 82. p. 2. *Prefatio Sancti Iheronimi.* Videlicet Locus de *L. A. Seneca* e *Catal. Scriptt. Eccl.* tum notae illae, et a me saepius relatae inter hunc et *Paulum* Ap. *Epistolae*, prout edidit *Fabricius* in *Codice Apocr. N. T.* P. II. p. 892. nisi quod nobis XI. et XII. transpositae sunt. Lectionis varietati immorari operae pretium non censeo.

VIII. *fol.* 85. *Sermo Beati Iheronimi De Persecutionibus.* Initium: